



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Cap. II. De præceptis Charitatis erga proximum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

CAPUT II.

De præceptis charitatis erga proximum.

Charitas proximi præcipit, 1. Ordinem in eo diligendo. 2. Dilectionem inimicorum. 3. Eleemosynam. 4. Correctionem fraternam. Deinde prohibet, 1. odium proximi. 2. scandalum. 3. ne injuria, bellum, aliudve grave damnum, vel malum inferatur. De quo postremo agetur in Decalogo; de reliquis hic.

DUBIUM I.

Quis Ordo servandus inter personas, qua diliguntur?

Resp. I. Ordine Charitatis quisque tenetur post Deum diligere 1. Seipsum, secundum bona spiritualia. 2. Proximum quoad eadem bona. 3. Seipsum, quoad bona corporalia. 4. Proximum, quoad eadem. 5. Denique seipsum, & deinde proximum, quoad bona externa. Ita Laym. l. 2. tr. 3. c. 3. ex S. Thom. & communiter. Unde resolventur Casus.

I. Peccat contra charitatem sui, qui salutem suam spiritualem, vel corporalem negligit: quod grave est, si fiat sine causa, & cum gravi damno, v. g. mortis, vel gravis morbi. Trull. l. 1. c. 6. d. 1.

II. Nullius boni consequendi causa licet peccare, etiam venialiter: quia talis vellet sibi malum spirituale, Lay. ibidem.

III. Tenetur quisque proximo in extrema necessitate spirituali constituto succurrere, etiam cum certo vitæ periculo; dummodo sit æquè

D ccr-

certa spes illum juvandi, neque gravius inde malum imminet: v. g. teneris cum vitæ periculo baptizare, vel absolvere moriturum, si alius non adsit, qui faciat. *S. Aug. l. de mend. S. Thom. q. 26. a. 5. & q. 44. Regin. c. 4.*

Dixi, *in extrema*, v. g. qua certo putetur moriturus in mortali: quia in gravi tantum obligatur is, qui ex officio alienam salutem curat, ut Parochus; cui ideo non licet fugere tempore pestis, nisi substituto æquè idoneo. *Valent. & Lay. l. c.*

IV. Ordinariè non licet vitam suam postponere alienæ. Addo, *ordinariè*: quia licet, si sit persona publica, à qua multum pendet: uti etiam pro Repub. pro fide, religione defendenda: imò etiam pro amico, propter Deum dilecto. *Less. l. 2. c. 9. d. 6. Lay. l. c.*

Resp. II. Quoad proximos inter se, servandus est hic ordo, 2. Qui melior est, magis diligendus est, ea dilectione, quam comitatur gaudium circa bona possessa, item honor, cultus, & reverentia. Sic v. g. plus diligendus est vir sanctus, quam parens improbus. Ratio, quia est magis conjunctus cum præcipuo objecto Charitatis, quòd est Deus. Item parentes magis quam filii, vel uxores magisque benefactores, quam ii, quibus beneficimus. *Lay. l. c. & comm. 2.* Appretiativè, & dilectione ea, qua alteri optamus bonum non dum possessum cum beneficentia, magis diligendi sunt ii, qui nobis sunt conjunctiores, quoad ea bona, quæ sunt debita tali conjunctioni, & in quibus hæc fundatur. *Vnde resolves.*

I. In bonis pertinentibus ad naturam, & vitam corporis.

corporalem conservandam, succurrendum est (extra necessitatem extremam) Primò omnium uxori; quia est una caro cum viro. 2. Filiis. 3. Parentibus, & quidem patri præ matre. 4. Fratribus, sororibus, deinde propinquis, domesticis, & familiaribus. Dixi, *extra extremam necessitatem*: quia in hac parentes, eò quòd vitam dederint, præferendi sunt etiam uxori, & liberis. *Laym. ib. n. 5. & 6.*

II. In rebus pertinentibus ad civilem communicationem, præferendi sunt concives, in bellicis commilitones, in spiritualibus spirituales filii, patres, fratres. *Bannes* tamen probabiliter docet, parentes carnales, etiam in spiritualibus, aliis omnibus præferendos: quia conjunctio carnalis est fundamentum aliarum conjunctionum. *vid. Lay. hic l. c.*

DUBIUM II.

De odio, & dilectione inimicorum.

Certum est, inimicos aliquo modo diligendos cum sint proximi, *cum S. Thom. 2. 2. q. 25. a. 1. communiter omnes*. Sed quæritur de modo, & an possint odio haberi?

Resp. I. Quilibet homo saltem privatus tenetur proximo, etiam inimico, communia dilectionis signa, & beneficia exhibere ex præcepto; specialia verò ex consilio tantum, nisi aliundè ratio obligationis accedat. *Ita communiter cum Lay. c. 4. ex S. Thom. l. c. q. 25. a. 8. & 9. Dixi. communia*: qualia secundum *Cajet. V. odium*, sunt, quæ Christiano debentur à quovis Christiano in com-

muni cōcivi à concive, cognato à cognato. Ratio autem est, quia ista negare, est vindicare injuriam, quod non licet privato. Dixi 2. nisi aliunde accedat ratio obligationis, qualis esset v. g. 1. Timor scandali ex omissione, 2. Spes salutis inimici, ut *Azor. t. 2. l. 11. c. 3.* 3. Necessitas temporalis, vel spiritualis. 4. Culpæ deprecatio, & exhibitio specialium signorum amoris. Ratio, quia his casibus, neglectus specialium signorum esset exterior odii declaratio. *Lay. l. c.* Unde resolves casus sequentes.

I. Per se loquendo, nemo tenetur ad inimicum diligendum positivo, & peculiari actu, neque ad eum salutandum, alloquendum, ægrotum inviscendum, mœstum consolandum, hospitio excipiendum, vel familiariter cum eo agendum, &c. quia hæc sunt signa specialia amoris. *Fill. t. 2. cap. 1.* Dico, *per se*, quia si omissio scādaloſa esset, aut per aliquid horum posses sine tuo incommodo, inimicum tibi & Deo reconciliare, id ommittere, esset grave, uti etiam, si inæqualis persona soleret aliū salutādo prævenire, v. g. subditus Prælatū *Lay. l. c.*

II. Non licet inimicum excludere à communibus orationibus, v. g. oratione Dominica, & quæ pro communitate instituitur, nec à communibus eleemosynis, resalutatione, respōsione, expositarū mercium venditione: quia hæc sunt communia dilectionis signa: ideoq; cōtra hæc facere, v. g. cognatos omnes invitare, obvios omnes ex vicina vel collegiō ex consuetudine salutare, solo inimico excluso, est ex genere suo, & regulariter mortale. *S. Th. Nav. Lay. II, cc.* Addo 1. *ex genere suo*, quia si

si levitas materiæ, aut causa rationabilis excuset, v.g. si pater, vel superior, filio vel subdito, ob correctionem ea subtrahat ad tempus, leve vel nullū erit: quia habet jus puniendi. Ad 1o 2. *regulariter*, quia si persona multo major inferiorem non refutet, v.g. nobilis rusticum, pater filium, non videtur mortale, ut not. *Saver. Charitas, Bon. d. 3. q. 4. p. 3. v. Az. 3. p. l. 12.*

III. Etsi quis teneatur inimico veniā legitimè petenti, non tantum interiùs remittere, sed etiā externa remissionis signa ostendere; negat tamen *Trull. l. 1. c. 5. d. 5. ex Azor. & Fill.* teneri statim postquam offensio est illata, eò quòd sit res violenta & supra fragilitatē humanam. Non tenetur autem remittere satisfactionem, pro damno, si ab eo sit læsus; imò nec eam acceptare, si offerat; sed etiā juridicè potest compensationē petere, dummodo in utroq; casu ponatur odium, ut docet *Vallet. Nav. Lay. l. 2. t. 3. c. 4.* Quòd si tamen pœna sit valdè gravis, v.g. capitis, mutilationis, neque læso ex ea commodum proveniat, non videtur ea, deprecante altero, sine peccato vindictæ posse expecti. Similiter, si satisfaciat quantum potest, ad id, quod non potest, eum urgere, videtur contra charitatem, ut docet *Sylv. & Fill. t. 28. c. 11. q. 9.*

Resp. II. Etsi odium inimicitia, sive personæ secundum se, & bonorum quæ in se habet, volendo scilicet illi malum ut sic, sive quatenus illi malum est, ex genere suo sit mortale; odium tamen abominationis, sive qualitatis, quo non hominē, sed ejus malitiam, vel saltem personam tantum quatenus malam, vel nobis noxiam, aver-

famur, sæpè licitum est, ut docet *Côn. a. 29. dub. 3. & commun.* Unde resolves sequentes Casus.

I. In confessione satis esse, si dicas te grave malum voluisse proximo, nec opus esse explicare speciem mali, v. g. mortem, infamiam, &c. quòd omnia comprehendantur sub una ratione mali. *Cap. Bon. Turr. Trul. l. i. c. 6.* docent probabiliter, sed contrarium probabiliùs docet *Suar. Palam. 6. d. 4. q. 1.*

II. Licet proximo velle malum aliquod, v. g. temporale, (dummodo non sit iusto gravius) quatenus id illi bonum est, v. g. morbum, vel ad- versitatem, ut à peccatis emendetur. *Bon. d. 3. q. 4. p. ult. p. 1. ex multis.* Cavendum tamen est, ne fiat ex vindicta, ex qua si *Psalm. 108.* super inimicum tuum legas, peccas mortaliter. Generatim verò, ob bonum spirituale, proprium vel alienum, licet mala pœnæ, inefficaci effectu, aliis velle; quia cum in hoc affectu bonum spirituale præferatur temporali, non est inordinatus. *v. Less. l. 2. c. 47.*

Sic licet v. g. mortem optare hæresiarchæ, vel publicæ pacis turbatori, ob bonum commune, & multorum; juxta illud *Gal. 5. Vitam abscindantur.* Item tritari de eo, quòd dignitates conferantur indignis; vel de sanitate ejus, qui ex illa sumit occasionem peccandi. Item mortem, egestatem, aut morbum alicujus desiderare, ut cesset à peccatis, & vitam in melius mutet. Eadem ex causa *Bon. Azor. & Pal. t. 6. p. 1. n. 11.* excusant à peccato matrem, quæ mortem filiarum exoptat, eò quòd ob deformitatem, vel inopiam commodè, & honestè nuptui tradere non possit, Etsi verò sibi ipsi optare

optare mortem *Nuv. & cat.* dicant esse mortale: ad evitanda tamen gravia mala, v.g. afflictionem internam, id licere volunt *San. Sot. Grav. Dia. p. 5. t. 14. R. 92.* Ita *Trull. l. 1. d. 2. n. 11.* excusat foeminam, quæ sibi (vel alteri) mortem optat ad vitandam gravem infirmitatem, mendicitatem, vitam acerbam, &c. vel alia similia mala à marito v. g. inflicta, vel infligenda. Mulierculas tamen ob minimas molestias mortem optantes *Dia. l. c.* mortalis damnat; nisi (ut plerumque fit) excuset defectus advertentiæ & deliberationis.

III. Privatus, qui aversus ab alio fugit illum, si id faciat, ut eum suo colloquio & solatio privet, atq; ita contristet, & malè illi sit, est odium inimicitiae, & peccatum: si verò nihil mali optando, tantum fugias, quia tuæ naturæ est difforsionis, vel tibi solet esse molestus, est odium aversionis, & peccatum, si sit irrationabile: quale non erit, si sit persona valde aspera; modò absit contemptus, scandalum, & vindictæ cupiditas. *v. Bon. l. c.*

DUBIUM III.

De præcepto Eleemosynæ, seu misericordiæ corporalis.

Suppono I. Hujus præcepti obligationem nasci ex duplici capite. 1. Ex necessitate proximi egentis. 2. Ex persona possidentis bona, vel necessaria, vel superflua.

Suppono II. Duplicem dari necessitatem proximi. 1. dicitur extrema, ex qua egenti imminet periculum vitæ, vel etiam gravis & diuturni morbi, secund. *Dian. p. 5. r. 8. R. 1. 2.* gravis, ex qua im-

minet periculum gravis mali, vel captivitatis infamiae, gravis jacturae bonorum, vel status: unde fiat, ut difficulter se possit sustentare, v. g. si non possit vivere secundum suum statum, vel si nobilis cogatur alteri famulari, vel artifex, aut vir honestus, mendicare. 3. dicitur communis, quâ laborant mendici triviales, *Laym. l. 3. tr. 2. c. 6.*

Suppono III. Bona necessaria, & superflua dici, vel respectu vitæ sive naturæ, vel respectu status, vel decentis conditionis personæ; quomodo seculares rarò putant se habere superflua, ut docet *Laym. c. Navar. c. 24.* Nam quæ sunt necessaria ad alendos liberos, famulos, honestas donationes, convivias, hospitum tractationem (qualia tamen non sunt, quæ ad quemcunque factum, & pompam quisque sibi requirit) spectatis etiam communibus eventibus, hæredibus, necessitate futura, &c non sunt superflua.

Resp. I. Nemo tenetur dare eleemosynam ex bonis sibi ad vitam necessariis, nisi esset persona talis, ex qua penderet salus Reip. *Est communis.* Et ratio patet ex ordine charitatis.

Resp. II. Probabile est, ex superfluis naturæ & statui, teneri aliquem, etiam in gravi necessitate, succurrere proximo, si probabiliter putet alium non subventurum: idq; ut *Azor. tom. 2. lib. 12. cap. 7. Sylv. c. Fumus,* volunt sub mortali, contra *Medinam*, qui vult esse tantum consilii. Ratio, quia cum in scriptura frequenter damnentur homines ob neglecta opera misericordiae, hæc non sunt restringenda ad extremam, & raram necessitatem, *v. Lay. l. 6. c.*

v. 12. Inn. XI.

Resp.

Resp. III. Proximo in extrema necessitate teneris succurrere ordinariè, ex bonis etiam aliquo modo ad statum necessariis. *Suar. Lay. ex communi. Satisfacis tamen probabiliter, si des cum onere restituendi, quando erit ditior Vasq. &c. contra Suar. Cõn. &c. v. Dian. p. 5 t. 8. R. 5.*

Addo, ordinariè, quia si majus damnum æstimeretur, te excidere tuo statu, quàm mors pauperis, non teneris, *Azor. l. c.*

Resp. IV. Probabile est, quòd proximo in gravi necessitate constituto quisq; teneatur subvenire, cum modico detrimento proprii status: quia parvo suo incommodo tenetur magnum incommodum proximi impedire, *Lay. l. c. ex D. Thom. Bon. d. 3. q. 4. p. 6.* Ex dictis collige.

I. Homines privati non tenentur inquirere pauperes. *Vasq. &c.* si tamen dubitetur de extrema alicujus indigentia, tenentur inquirere veritatem. *Sanch. Dia. p. 5. t. 8. R. 39.*

II. Nemo tenetur magnam vim pecuniæ dare pauperi, ad pretiosissimam medicinam emendam vitæ servandæ necessariam, vel ad redimendum à periculo mortis. *Sa. & Cõn. d. 27. dub. 8. n. 135.* Et ratio patet ex dictis.

III. Si proximus tantum egeat usu rei, satis est illam accommodare: v. g. si ab hostibus spoliato vestem commodes, vel vulnerato equum, donec domum revertatur. *Lay. Bon. l. c.*

Resp. V. In communibus pauperum necessitatibus, tenetur aliquando dare elemosynam, qui habet bona naturæ & statui superflua. *Ita communiter. D. Thom. Suar. Bellar. contra Navar. & Vasq.*

qui negant teneri. Ratio est, tum, quia quisq; tenetur diligere proximum sicut seipsum: tum, quia alioqui pauperes isti inciderent in necessitatem gravem. Videtur tamen hæc obligatio tantum esse sub veniali, ut rectè *Medina*: idq; si nulla sit justa causa negandi; aliàs sub nullo. *v. Lay. Bon. l. c.* Unde resolvuntur Casus sequentes.

I. Pauperibus trivialibus, etsi ex nuditate, morbo, & c. videantur ostendere signa extremæ necessitatis, raro quis tenetur ex præcepto subvenire, etiam de superfluis: tum quia ferè ad movendos spectatores ista necessitas exaggeratur: tum quia ab aliis juvandi præsumuntur. *Mald. Wigers, Diam. p. 5. t. 8. R. 17.*

II. Si quis dives & abundans diu neget omnes eleemosynas, cum proposito dandi meliore, & commodiore loco ac tempore, vel egentioribus, vel in alium pium usum convertendi, is non peccat, cum habeat justam causam negandi: si verò talis, sine rationabili causa, omnes à se pauperes inhumaniter repelleret, cum dicit *Lay, l. c.* versari in malo statu.

III. Nulli omninò quantumvis diviti, omnes pauperes sine eleemosyna repellenti, facilè neganda est absolutio: tum, quia vix reperitur, qui causam saltem apparentem non prætetendat, si superflua se habere fateatur. *Laym. ibi.*

IV. Etsi dicta de eleemosyna danda, intelligantur respectu omnium egentium, etiam peccatorum, infidelium, & inimicorum, damnandi tamen non sunt Magistratus, excludentes à suis civitatibus, iusta

justa de causa, pauperes peregrinos. *Lay. ib. Trull. l. 1. c. 5. d. 10.*

V. Religiosis æquè ac aliis pauperibus debentur eleemosynæ; quia eorum paupertas & necessitas est vera & justa, tamen si voluntariè contracta, cum voluntas & causa fuerit rationabilis, & grata DEO. *Lors. Dian. p. 5. t. 8. R. 18.* Aliud est de iis, qui sponte sua culpabiliter sunt pauperes, ut vagabundi. *Ibid. R. 19.*

Resp. VI. Eleemosyna tantum facienda est ex bonis propriis, & quorum quis liberam habet administrationem. Potest tamen fieri ex alienis, quando proximus est in extrema (vel etiam secundum *Less. l. 2. c. 12.* in valde gravi) necessitate, & aliundè succurri non potest: tunc enim omnia sunt communia. In communi verò necessitate, licet tantum cum consensu Domini, tacito vel expresso, *v. S. Thom. 2. 2. q. 32. a. 7. Reg. 286. Fill. Laym. Bon. l. c. n. 11. Less. l. 2. t. 12.* Unde resolves.

I. Non licet dare eleemosynam ex bonis obnoxiiis restitutioni; v. g. furto ablati: licet tamen ex acquisitis per opus illicitum, sed non cum iniustitia, v. g. ex lucro meretricum. Ratio, quia hæc sunt propria; priora non, *Bon. ibid.*

II. Pueris, filiis familias, servis, ancillis, uxori- bus, non licet dare eleemosynam, nisi tenuem, in qua parentum, dominorum, & maritorum voluntas præsumitur. Partiales verò casus, in quibus uxor dare potest, *v. suo loco, præcepto 4. & 6. c. 1. d. 4. v. Bon. di. 3. q. 4. p. 6. Dian. p. 5. t. 8. R. 25.* ubi ex *Hurt.* notat, si pater nullas det eleemosynas, pro eo dare filium.

III. Tutores & Curatores, & qui habent curam bonorum alienorum, possunt facere modicas elemosynas ex bonis, quæ administrant, quales nimirum ipsi facere deberent, quorum sunt. *Vasq. Az. Cón. Dian. p. 5. 2. 8. R. 21.*

DUBIUM IV.

De misericordia spirituali, seu præcepto correptionis fraternæ.

Correptio fraternæ, est admonitio, quæ quis proximum conatur revocare à peccato. De qua certum est, præceptam esse jure tum naturali, quo membra unius corporis se mutuo juvare tenentur; tum divino positivo, *Matt. 18. Si peccaverit in te frater tuus, corripe ipsum. Bec. 2. 2. c. 23. Lay. l. 7. Fill. Bon. p. 7.* Quæritur autem, quæ sit ejus materia, quos, & quomodo obliget?

Resp. I. Omne mortale peccatum proximi, per se est sufficiens materia, ut hoc præceptum obliget sub mortali. *Ita communiter.* Et ratio est; quia cum vitam spirituales proximi tollat, sufficientem necessitatem correptionis inducit. *Dixi 1. omne mortale:* quia etsi etiam veniale sit materia correptionis, non tamen graviter obligans; nec nisi facillimè possis. *Dixi 2. per se,* quia si quis ob timorem, verecundiam, pusillanimitatem, putet se non ita strictè obligatum, vel minus esse idoneum ad corripiendum, videtur tantum peccare venialiter, *vid. S. Tho. 2. 2. q. 32. a. B. & ceteros supra cit.*

Resp. II. Præceptum hoc obligat concurrentibus his circumstantiis. 1. Si certò tibi constet de peccato proximi: indagare enim tenetur solus du-

pe-

perior. 2. Si probabile sit non emendasse, nec emendaturū, vel relapsurū: quia elemosyna egēti tantum danda est. 3. Si alius æquē idoneus non adsit, qui correpturus putetur. 4. Si sit spes fructus: quia desperato sine cessant media. 5. Si sit bona occasio, locus, & tempus opportunum, possisq; sine tuo gravi damno facere. Quòd si horum aliquid desit, præceptum non obligat. Unde patet ejus omissionem in privatis, vel nullam esse, vel levem culpam. *v. Bon. l. c.*

Resp. III. Etsi hoc præceptum obliget omnes, etiam subditos; magis tamen Prælatos. Ratio prioris est, quia omnes sunt commembra, tenenturque sibi externa officia Charitatis præstare. Ratio posterioris est, quia subditi tantum ex Charitate, Prælati verò etiam ex officio, & justitia tenentur. Unde peccare possunt etiam graviter, veniales culpas non impediendo, si vigor disciplinæ per hoc minuat. Eademq; ferè est ratio de patrefamilias, præsertim erga liberos. *Lay. b. c. n. 5. Palanus. Trull. l. i. c. 5. d. 13. & 25. & ceteri.*

Resp. IV. Ordo in correptione servandus est, quem Christus præscripsit, *Matt. 17.* scilicet 1. ut corripias in secreto, deinde coram testibus: tum ad Prælatum Ecclesiæ, sive superiorē, deferas. Excipe tamen 1. Nisi præstet superiori, viro probò & prudenti, quam aliis testibus innotescere; prout cautum est in *Regula S. Aug. 2.* Nisi peccatū sit publicum, tunc enim potest publicè corripi. 3. Nisi vergat in grave damnum tertii aut communitatis, si superiori non statim innotescat; v. g. si quis prodicionem moliat, hæresin occultè spargat: tunc

D 7 enim

enim immediatè superiori indicandum, quia commune bonum præferendum est privato. *Fill. t. 28. c. 7. n. 149. & 155. 4.* Quando corripiendus est contentus, ut superiori statim significetur: ut est apud quosdam Religiosos, qui quoad hoc iuramento suo renunciarunt, *v. Suar. Bec. Lay. hic Sanc. Fill. l. c.* Ex dictis resolvitur.

I. Qui facile potest impedire peccatum mortale proximi, & ob mali temporalis timorem negligit, peccat mortaliter. *Ita Lay. Suar. Sanch. l. 6. mor. c. 18. v. Palaum hic.*

II. Si certò constet fratrem perfectè emendasse peccatum occultum, nec ex eo esse ullum periculum relapsus, vel damni, ipsi aut alteri, non licet (etiam in Societate Jesu) denunciare Patri, vel Prælato; nisi frater expresse in istam denunciationem consentiat. *Sanch. 2. mor. l. 6. c. 18. n. 40. & 60. Palaus de char. 6. d. 3. p. 12. Fill. Trull. l. 1. c. 5. d. 14. Suar. Hurt. d. 163. & deniq; C. Lugo Resp. mor. l. 4. d. 46. ubi tamen notat, in Societ. Jesu casum esse rarissimum. Ratio autem est, quia cessat motivum charitatis, atque adèò ratio denunciandi: ideoq; est peccatum, & quidem ut C. Lugo l. c. notat ex Suar. mortale ex genere suo, v. infra l. 4. c. 3. d. 5. & Dian. p. 4. t. 4. R. 71.*

III. Si Superior immediatus se solo possit delinquentem emendare, ita ut nullum periculum damni vel relapsus, ipsi vel alteri, vel communitati imminet, videtur peccare manifestando Superiori mediato delictum. *Pal. l. c. Trull. d. 16. n. 1.*

IV. Prælati & Magistratus tenentur aliquando inquirere subditorum peccata, ut corripiantur:

non tamen multum & curiosè, de aliquo in particulari rogare debent, nisi is speciale ejus signum dederit: neq; facile admittere accusatores spontaneos, quia illi specie boni communis sæpè sequarunt. *Hurt. &c. Dian. p. 7. t. 3. R. 10. & 12.*

V. Episcopi, Prælati Religiosorum, Pastores animarum, tenentur etiam cum suo incommodo, imò aliquando cum vitæ periculo, adhibere diligentiam quam possunt, ut peccata publica, & occulta impediant: quia cum Christo pacti sunt curam & sollicitudinem gregis, pro qua multa ab eo bona accipiunt. *Hurt. 10. 2. d. 162. sec. 7. §. 60. (ap. Dian. p. 7. t. 3. R. 28.)* aitq; hanc esse omnium Patrum & Theologorum doctrinam, quam Christus verbo & exemplo docuerit: additque idem esse de Magistratibus & Concionatoribus. Licet verò hi non teneantur ad id ex justitia, (sicut Prælati & Magistratus) tenentur tamen peccata publica corripere, (sed non facilè Prælatorum & Religiosorum, quorum autoritas ad bonum commune est necessaria) etiam si non sit spes commendationis. *Côn. Hurt. Dian. l. c. R. 13.*

VI. Correptio adhibenda est non semper statim, sed dum major fructus speratur. Hinc interdum permitti potest reiteratio peccati, ut ferventiùs resipiscat. *Dian. p. 7. t. 3. R. 29. & 30. ex Regin. Fil. Trull.* Neque sufficit semel esse factam correptionem, sed debet iterum iterumq; fieri, quamdiu speratur fructus. *Ibid.*

R. 32.

DU-

DUBIUM V.

De Scandalo.

ARTICULUS I.

Quid, quotuplex sit, & quale peccatum?

Resp. I. Scandalum dicitur peccatum occasio-
 natum, & est duplex: Activum, & Passivum. Acti-
 vum est, dictum vel factum (quo nomine etiam
 omisio intelligitur) minus rectum, præbens alteri
 occasionem ruinæ spiritualis. *Ex S. Thom. 2. 2. q.*
43. a. 1. Sanch. Azor. Laym. c. 13. Bonac. d. 2. q. 4. p. 2.
Dixi, minus rectum, hoc est, quod vel in se malum
 sit, ut si loquaris turpia coram adolescente, vel
 mali speciem habeat, ut si justa de causa coram a-
 liis eam ignorantibus, comedas carnes die verito.
 Scandalum Activum aliud est per se tale, aliud per
 accidens. Per se dicitur, quando directe intendi-
 tur alterius ruina; id est, si ideo aliquid fiat, ut ali-
 quis ad peccatum inducatur: v. g. si adulter alienam
 sollicitet ad adulterium. Per accidens dicitur,
 quando indirecte, & interpretative tantum
 causatur alterius peccatum; ut si quid facias, quod
 tibi in mentem venit, aptum natum esse inducere
 alterum hic, & nunc ad peccatum, & nihilominus
 facis; ut si coram pusillis pecces, vel die verito car-
 nes comedas, non dicendo, quod habeas veniam.
 Item, si Clericus domi suæ alat mulierem populo
 suspectam, esto absit omne peccatum, & pec-
 candi periculum. *vid. Sa. V. Clericus Laym. Bonac.*
loc cit. Scandalum passivum, est ipsa ruina, sive
 peccatum, in quod labitur proximus, ex occasio-

ne alterius dicti vel facti. Quod dividitur in Datum, seu pusillorum, quod oritur ex activo; & in Acceptum, quod non oritur ex activo, sed ex ipsius sumentis malitia; quale erat odium, & invidia Pharisæorum in Christum, occasione ejus dictorum vel factorum: unde hoc dicitur Pharisæicum. Ex his patet.

I. Ad Scandalum Activum non requiri, ut de facto passivum ex eo sequatur; sed satis esse, quod data sit occasio; ex qua natura sua sequi possit: ut si quem inducere velis ad peccatum; qui tamen non consentiat; sicut etiam contra, passivum potest dari sine activo, *Laym. ibid.*

II. Scandalum passivum non esse speciale peccatum, neque addere circumstantiam aggravantem: v. g. qui viso alterius furto etiam furatur, non ideo peccat gravius, *Laym. ibid.*

III. Non semper esse scandalum, si pecces coram aliis, sed tantum, quando attentis omnibus circumstantiis, tam personæ agentis, quam coram quibus fit actus, potest probabiliter timeri, ne per hunc actum trahantur ad peccatum, qui aliàs peccaturi non essent. *Sanch. Laym. l. 2. t. 3. c. 13.*

IV. Omne scandalum activum directe intendens ruinam proximi, esse speciale peccatum contra Charitatem, ut habet communis sententia. An vero idem sit, quando intenditur indirectè, controversant Scholastici, & parum refert ad praxin. *Sanch. l. 7. c. 6. & 9. Azor. 1. p. l. 4. c. 7. Bön. l. c.* Unde resolve hos casus.

I. Mortaliter peccat, qui alteri dat occasionem ruinæ mortalis, nisi inde liberatio excuset: & sic
opus

opus indifferens vel veniale, sæpè transit in mortale, ratione scandali, v. g. si jocosum verbum proferat Religiosus coram fœminis, vel iis, qui inde occasionem peccati mortalis sumere possunt. *Lay. l. c.*

II. Venialiter peccat ratione scandali, qui alteri dat occasionem ruinæ venialis tantùm. Quod verum est, etsi directè illam intendat, & quidem per actum mortalem, *Sanch. l. 1. c. 6. n. 11. ex communi contra Suar.* Ratio autem est, quia ruina est parva. Et patet à simili, vel si quis per fornicationem intendat furari rem minimam, furtum tantùm erit veniale.

III. Scandalizans committit præter peccatum scandali etiam peccatum ejus speciei, ad quod alterum inducit; ideoq; confiteri debet speciem peccati mortalis, per quod, & ad quod induxit; cum numero inductorum, vel qui probabiliter induci potuerunt. *Sanch. Azor, Lay. Bon. l. c. Card. de Lugo de pœn. d. 16. s. 4. Dia. de Sac. to 2. t. 4. a. 114.* Excipit tamen *Card. de Lugo l. c.* si præter intentionem scandalum dederit. *Tamb. de exped. conf. l. 2. c. 1. § 9.* ait, quoad inductos, sufficere si dicas: fui multis occasio peccandi meo exemplo. *v. inf. l. 3. t. 6. c. 1. dub. 2.*

IV. Etsi is, qui scandalizavit alios, teneatur illis rursus dare bonum exemplum, ut inquit *SA:* si quis tamen nudo exemplo suo alios ad furtum induxit, neq; alio peculiari modo, v. g. exhortatione, consilio, mandato est cooperatus, non tenetur ad restitutionem; quia talis inductio est tantum contra Charitatem, non justitiam. Idem docet esse

esse *Lessius* si cum *Cajo* v.g. potites ea intentione, ut ipse consumptis pecuniis furetur. *v. Less. c. 9. d. 2. n. 113.*

V. Non censetur dare scandalum, qui licet publice peccet, facit id tamen coram iis, qui vel sunt ita viles, vel infames aut improbi, ut nemo moveatur ad peccatum; vel qui sunt ita probi, v.g. si quis fornicetur coram aliis, qui parati sunt idem facere, nec ejus exemplo moventur; vel si coram mansuetis quis contendat, rixetur, vel alium cædat. *Sanch. 1. mor. c. 6. n. 6.*

VI. Non ideo factum aliquod est scandalum, quia alius incipit de tali homine malè suspicari, aut sentire; quia hic non peccat, si ob sufficientia indicia suspicetur. Secus tamen est, si incipiat malè sentire de fide Catholica, Clero, Ordine Religioso, vel minùs ad pietatem affici: Unde patet facilius dari scandalum ab iis, qui sunt in magna auctoritate, vel pietatis existimatione, quàm ab aliis. *Côn. di. 32. n. 33.*

ARTICULUS II.

An, & quando scandalum passivum permitti possit, aut ob illud vitandum, aliquid omitti debeat?

Resp. I. Permitti non potest absque necessitate, vel utilitate propria vel aliena. Ratio est, quia tenemur ex Charitate impedire peccata proximi, si facile possimus. *Lay. c. 13. ex communi.* Unde resolvitur hic Casus.

Abseq; causa non licet petere mutuum ab usurario, vel ab infideli juramentum per falsos Deos, à con-

à concubinario administrationem Sacramenti, vel ut celebret: cum enim absq; peccato id non sit facturus, cooperareris ejus peccato. *Suar. Sanct. Trull. l. 1. c. 6. d. 5. n. 15.*

Resp. II. Ex causa necessitatis, vel utilitatis potest permitti. Patet in dicto casu, qui simpliciter sine peccato fieri potest; ideoq; licet talia petere ex rationabili causa, etsi alter ex sua malitia sit peccaturus. Requiritur autem major necessitas, ut permittatur scandalum pusillorum, quàm Pharisæicum. Item major, si plures sint scandalizandi, si timeatur peccatum grave, & deniq; si certò prævideatur, quàm aliàs, *Lay. l. c. Bon. d. 2. q. 4. p. 2.*

Resp. III. Debet permitti, si alioqui propria salus periclitaretur, vel aliis, præsertim communitati, grave damnum immineret. Unde bona spiritualia necessaria ad salutem, nec debet, nec potest quisquam demittere ob cujusquam scandalum. *Fill. N. 28. c. 6.*

Resp. IV. Bona spiritualia, (& secundum *Loricam* apud *Dian. p. 5. t. 7. R. 24.* etiam temporalia) non necessaria ad salutem, non tenetur quis omittere, vel differre, ob scandalum Pharisæicum, juxta illud *Matth. 15. Sinite illos, &c.* nisi tamen ex dilatione fructus speraretur. Facilius verò ac sapius talia bona differenda, vel etiam omittenda sunt, ob scandalum pusillorum: v.g. ingressus religionis debet differri ob scandalum parentis, si consensus illius brevi speretur. *Laym. l. c.*

Resp. V. Ad vitandum grave scandalum pusillorum, quædam præcepta impleri non debent; nisi tamen omissio esset magis damnosa omittendi,

v.

v. *Laym. l. 2. t. 3. c. 13.* Ratio hujus est, quia tunc concurrente duplici præcepto, scilicet naturali de cavendo scandolo, & positivo, majus & fortius est naturale. *Ex dictis resolvuntur casus.*

I. Prælati Ecclesiastici non tenentur, (imò nec possunt) ea, quæ ad bona Ecclesiæ conservanda sunt necessaria, v. g. lites, &c. omittere ad vitanda scandala Phariſaica, imò etiam pusillorum; etsi his prius reddi debeat ratio rectitudinis, *Dian. p. 5. t. 7. R. 24. ex D. Thom. &c.*

II. Si fœmina utatur veste virili, vel contrà, tantum ex levitate, sine prava intentione, periculo scandali, & libidinis, veniale tantum erit, aliàs mortale; nullum verò, si ex necessitate, *Dian. p. 5. t. 7. R. 32. ex D. Thom. Sylv. &c.*

III. Peccatum, ex quo Confessarium in confessione (ex infirmitate tamen) graviter scandalizandum nosti, debes reticere, *Lay. l. c. ex Navar. &c.*

IV. Uxor semel vel iterum debet omittere jejunium, ex quo maritus graviter offendetur, & orietur discordia. *Ibidem.*

V. Si ituro te ad sacrum die Festo, excitanda sit gravis rixa, vel cædes, non teneris ire. *Ibid.*

VI. Superior peccata subditi sæpe potest dissimulare, ad vitandas turbas; & majora mala, quæ alioqui teneretur punire.

VII. Mulier, quæ scit in se, vel in sui aspectu aliquem in particulari scandalizandum, mortaliter peccat, si data opera ei se conspiciendam offerat: adeoq; potest & debet, non tantum in publico, sed etiam sacro abstinere die festo semel aut iterum, ad peccandum illud evitandū. *Dixi aliquè in parti-*

culari, quia ob timorem scandali alicujus ex communitate in genere, vel etiam plurium, abstinere nimis esset difficile, & plenum scrupulis. Dixi *semel aut iterum*, quia sæpè nimis esset grave, & durum. *Bon. San. Lay. l. c. n. 10. & alii v. Dia. p. 54. 7. R. 21. & 22.* ubi in contrarium citat aliquot Authores negantes obligationem prætermittendi rem præceptam, ad evitandū aliorum scandalum.

VIII. Mulier, quæ ex ornatu, etiam convenienti suo statui, probabiliter prævidet aliquem in particulari lapsurum mortaliter, tenetur ad breve tempus eum dimittere, aut talis conspectum fugere. Dixi *ad breve tempus*: quia ad longum, nimis illi grave foret. *v. Dian. l. c.*

IX. Si verò idem timeretur in particulari ex ornatu superfluo, vano, & inconvenienti (quem assumere vanitatis & placendi causa, ut videantur pulchræ, & procum facilius inveniant, seclusis aliis, non nisi veniale est) teneretur eum omnino dimittere, etiam sub mortali: quia nullum habet jus ad illum ornatum: & ex altera parte tenetur vitare peccatum alterius, quando commodè potest *v. Sylv. v. ornat.* Alii tamen, ut *Caj. & Nav. cap. 23.* videntur docere, eam tantum teneri sub veniali, (sed minus probabiliter, quando in particulari lapsus prævidetur, & brevi tempore abstinendum est) qui etiam cum *Az. Less. l. c. Bon.* excusant à mortali eas, quæ ex consuetudine loci, media ubera detegunt, fucò, pigmentis, alienis crinibus utuntur: dummodo non aliorum lasciviam, sed tantum majorem pulchritudinis ornatum intendant absque alio fine mortali, aut lege parti-

Particulari id sub mortali prohibente. Addunt tamen, fore grave & mortale peccatum, hujusmodi morem detegendi peccatus, vel tenuiter tantum tegendi, ubi non est, introducere. *Nav. n. 19. Leß. 112. Lay. l. c. & c. v. Bon. de mat. q. 4. p. 9. n. 17.*

X. Si mulier non in particulari, sed in genere tantum, aliquos in se scandalizandos putet, modo eorum lasciviam non intendat, nec ei placeat, (licet ei placeat, quod laudetur ut formosa) non videtur teneri abstinere ab illo ornatu, etiam superfluo, sub mortali, v.g. fucando faciem, imò etiam denudando ex communi consuetudine peccatus: nisi tamen denudatio, vel ornatu esset valde turpis per se, ac directe ad libidinem provocans. Ratio est, tum quia est scandalum potius acceptum, quam datum, & ornatu ille ac pulchritudo remotè tantum ad peccatum provocat, ut docet *Lay. & Bon.* tum quia nimis grave esset isti sexui, præsertim si maritum quarant, perpetuò sic abstinere: cum illa occasio sit universalis, & perpetua: nec formosiores unquam licitè irent foras, cum pulchritudo naturalis plus noceat, quam artificialis. Plura de hac re *v. Dia. 1. misc. Resp. 30. Bald. l. 3. d. 5. n. 23.* Interim foemina nudum peccus gerentem non mali intentione, etsi quidam excusent à mortali, ego tamen, inquit *Sa*, difficile absolverem. Et certum est, quòd confessario incumbat, hujusmodi ornatu dissuadere, & deterrere ab eo. *v. Sa V. ornatu, & c. ll. cc.*

XI. Peccant etiam graviter, qui componunt, describunt, repræsentant, vel pingunt turpia, & ad libidinem provocantia, *Bon. San. & Fill.*

Resp.

Resp. VI. Potest aliquando permitti proximi ruina, quando is paratus est ad malum, & alter non intendit ut peccet, sed tantum non auferendo occasionem, permittit unum peccatum, ne fiant plura; ita ut permissio sit impeditiva majoris mali. *Vnde resolves.*

I. Hero ~~non~~ licet auferre occasionem furandi filiis, aut famulis, cum eos nihilominus ad furandum propensos & paratos novit, sic deprehensi puniantur, & resipiscant: tunc enim rationabiliter permittit furtum unum, ut evitentur plura. *Sanch. Laym. Bon.*

II. Probabile est, non licere talia ulterò ponere, aut iis objicere: quia positivè concurreret ad peccatum; & non tam auferret occasionem, quam poneret. *Sa. V. peccatum, & Sanch.* qui ex eadem causa docet, non licere marito dari uxori ansam adulterandi; vel adultero, ut tentet uxorem. Interim probabiliter contrarium docet *Laym. lib. 2. tr. 3. c. 13.* Quod confirmari potest exemplo Judith, quae vix aliter videtur fecisse c. 9. Cum enim sciret permissionem libidinis in Holoferne fore impeditivam malorum, posuit ei occasionem, nempe ornatum suum, alioqui licitum; & tamen communiter censetur in hoc non peccasse. *v. Bon. d. 2 q. 4. p. 2. Palaum hic.*

ARTICULUS III.

An liceat alterius peccato materialiter cooperari?

Resp. Cooperari tantum materialiter, subministrando tantum materiam & facultatem peccandi, vel

vel exhibendo objectum, licet; si sequentes conditiones adsint. I. Si tuum opus vel cooperatio sit secundum se bona, vel saltem indifferens. II. Si bona intentione, & rationabili ex causa fiat, & non, ut juves alterum peccare. III. Si alterius peccatum impedire nequeas, aut saltem non tenearis, propter causam rationabilem. Circa quam notat *Sanch. & Laym.* et si ejus gravitas certa regula definiti nequeat, sed prudentis judicio metienda sit; tanto tamen graviolem requiri. 1. quanto gravius est peccatum, cujus occasio datur. 2. quanto probabilius est, te non cooperante, alterum non peccaturum; aut quanto certior est affectus peccati. 3. quanto propinquius tua cooperatio peccatum attingit. 4. quanto minus juris habes ad tale opus. 5. deniq; quanto magis peccatum cum justitia pugnat; idque propter damnum tertii. *Lay. l. 2. c. 3. e. 13.* Unde resolves hos Casus.

I. Hoc modo licite materialiter cooperatur sponsa contrahens cum sponso, quem scit Sacramentum accipere in peccato mortali. Sciens vero eum habere votum castitatis, peccat contrahendo cum ipso: quia ad contractum illicitum concurrat. *Lay. l. c. ex Sanch. l. 7. de matr. d. 11. num. 11.*

II. Licite quoq; post matrimonium contractum materialiter cooperatur conjunx, si conjugii obstricto voto castitatis reddat debitum; imò ad id tenetur ex justitia, si eum exigentem non possit à proposito avocare. *Ibid*

III. Similiter Parochus Eucharistiam licite potest, & debet ministrare peccatori, & excommunicato.

E

nicato.

nicato, & hæretico occulto, si petat publicè: imò confessarius præbere debet petenti. etiam privatum, si ex sola confessione ejus peccatū novit. *Ibid.*

IV. Excusantur à peccato famuli, si ratione famulatus præstant quædam obsequia, quæ sine gravi suo incommodo negare non possint; ut v. g. vestiant dominum, sternant equum, comitentur ad lupanar, meretrici deferant munera, eidem venienti aperiant ostium: quia hæc tantum remota se ad peccatum habent, & sine iis peccatum fieret. Unde tamen non sequitur, alteri cuivis licere ea præstare. *Bon. p. II. n. 26. Azor. tom. 2. l. 12. c. ult. q. 8. Lay. l. 2. t. 3. c. 13. Sanch. lib. 1. mor. c. 7. n. 21.*

V. Ad ea opera, quæ propinquius se ad peccatum habent, aut juvant, v. g. subiicere humeros, admoveere scalas hero per fenestram ascendenti ad concubinam, deferre literas amatorias ad meretricem, comitari ad duellum, &c. non sufficit communis ratio famulatus, sed exigunt majorem necessitatē & causam, ut licitè fiant; v. g. periculum gravis aut saltem notabilis damni, si detrectent. *Ibid.*

Nb

VI. Ob simile periculum excusantur ut plurimum caupones, & propolæ in locis, ubi Catholici vivunt mixti hæreticis, qui ministrant, aut vendunt carnes die jejunii comesturis: item vinum ebriosi, dum postulant, etsi sciant eos à peccato non excusari: quia plerumque peccatum a quò fieret, subministrantibus aliis, & ipsi damnatum notabile paterentur, dum paulatim nemo ad eos veniret. *Sanch. lib. 1. cap. 7. Bonas. &c.* Quòd si tamen hæ rationes non adessent, non excusarentur. Unde non licet ea patrifamilias (uti nec cœnam

v. 51. In. XI.

die

die jejunii) ministrare suæ familiæ; neque cauponi illi, præter quem non sunt alii: nisi tamen alia gravior causa cogeret. *Ibid.*

VII. Ea quæ ad peccatum proximè concurrunt, vel inducunt, vel cum justitia pugnant, etsi ex genere suo sint indifferentia, v. g. hero alterum occisuro gladium dare, ostendere illum qui ad necem quæritur, compulsare campanam (sine scandalo tamen) ad concionem hæreticam, meretricem etsi conductam ac paratam, è domo evocare & ad herum deducere, furi scalam applicare, gerenti injustum bellum dare mutuas pecunias, pagum hæretico domino vendere, gravissimam causam requirunt, hoc est, metum tanti mali, quod secundùm leges charitatis nemo tenetur subire ad evitandum malum alterius, v. g. si aliàs occidendus esset. *Lay. c. 13. n. 4.*

VIII. In civitatibus, in quibus id vitandi majoris mali causa permissum est, licet domum locare usurario, (excipit tamen jus alienigenam) & meretricibus; maximè si alii conductores desint: nisi tamen meretrices graviter nocerent vicinis honestis, vel ob situm ansam majorem darent peccatis. *Sanch. i. mor. c. 7. Bon. l. c.*

IX. Excusantur à mortali, imò etiam veniali, si causa adsit, artifices qui faciunt, aut vendunt res indifferentes, quibus quis benè potest uti, licet plurimi abutantur, v. g. aleas, fucos, gladios. Ratio, quia remotè tantùm ordinatur ad peccatũ; & simpliciter impediri nõ possunt. Quòd si tamen abusus esset cõtra justitiã, non liceret; v. g. si occisuro dares gladiũ ob magnum pretium, quò offert.

Item, si quis sciat hunc innocentem non pervertendum, nisi per has suas merces: quia modicum lucrum certæ salutis alterius est postponendum. *Sanch. l. c.*

X. Excusantur etiam, qui ob justam causam vendunt agnum Judæo, vel infideli usuro ad sacrificium. Item qui Judæorum Synagogas, hæreticorum templa, legitimo Magistratu permittente; ædificant, vel restaurant; præsertim si fieret æquè sine ipsis. *Nov. l. 5. cens. 1. de Judæis Lay. l. 3. t. 3. c. 13. n. 4.* Venena autem vendere, nisi iis qui bene usuri putantur, v. g. ad confectionem colorum, vel medicinam, non licet, v. *Sanch. 1. mor. c. 7.* Unde venditio veneni, quod non servit nisi ad hominis occisionem, simpliciter est mala.

XI. Christiani captivi, ex gravi metu; in trimebris Turcarum, vel hæreticorum, licitè remigant contra Catholicos; sarcinas, machinas, arma ad bellum necessaria, convehunt, propugnacula ædificant, &c. Ita probabiliter *Less. Sanch. Suar. Lay. l. 2. t. 3. c. 13.* contra *Tol. & alios*, qui docent, peccare mortaliter. Quòd si tamen eo loco res esset, ut hæc negantes magna periculo classem Christianam eriperent, vel victoriam conferrent, tenerentur tantum bonum vitæ suæ anteferre. *Suar. Less. Sanch. l. c.*

XII. Incolæ urbis vel provinciæ, quam Tyrannus occupavit, licitè manent inter iniquos possessores, eosque cogente imperio juvant excubiis, fossione, contributione; idque ex legitimi Principis præsumpto consensu: ex quo etiam talia obsequia licitè promittunt cum juramento, ad majora mala

ra mala sua & legitimi Principis declinanda. *Lay. l. c. n. 5.*

XIII. Nautæ & aurgæ Catholici in Hollandia, etiam sine gravi metu, si absit prava intentio, licitè vehunt annonam ad castra hæreticorum, si adsint alii, qui illis cessantibus facerent: quia nisi id faciant, excludentur omni lucro, tanquam offensores boni publici. *v. Less. l. 2. c. 19. Sanc. l. 1. c. 7. Fil. t. 22. c. 5.*



LIBER III.

De præceptis Decalogi & Ecclesiæ.

Tractatus Primus.

De Primo præcepto Decalogi.

HUJUS præcepti prout est affirmativum, materia propria sunt actus virtutis Religionis. Est autem hæc Virtus moralis, qua interior & exterior cultus Deo debitus exhibetur. Actus ejus internus est animi submissio, qua infinitam Dei excellentiam veneramur. Externus est, quo internum testamur, ut oratio, sacrificium, &c. de quibus *v. Schol. 1. 2. & 3. parte* Prout vero est negativum, prohibet vitia Religioni opposita: quæ quia opponuntur virtuti inter morales præcipuè, sunt peccata, post ea quæ contra virtutes Theo-